

Dissertatio inauguralis medica de purpura alba maligna et benigna seu chronica ... / [Johann Christian Becker].

Contributors

Becker, Johann Christian, -1744.
Juncker, Johann, 1679-1759.
Universität Halle-Wittenberg.

Publication/Creation

Halae Magdeburgicae : Typis Joannis Christiani Hilligeri, [1738]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/ktebmxk8>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

19
DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA
DE

PURPURA ALBA
MALIGNA ET BENIGNA
SEU CHRONICA

QUAM

ANNUNTE NUMINE DIVINO
CONSENSU AMPLISSIMI ORDINIS MEDICI
IN ALMA REGIA FRIDERICIANA

PRÆSIDE

DN. D. JOANNE JUNCKERO

PROFESSORE MED. PVBL. ORDINARIO

DOMINO PATRONO AC PRÆCEPTORE SVO
PIE VENERANDO

PRO GRADU DOCTORIS

LEGITIME MORE MAIORVM OBTINENDO

H. L. C.

Ad d. Octobr. Anno MDCCXXXVIII.

PUBLICÆ ERVDITORVM DISQVISIONI SVBMITTIT.

AVCTOR RESPONDENS

JOANNES CHRISTIANVS BECKER,

SMILINGHVSANO-WALDECCVS.

HALÆ MAGDEBVRGICÆ,

Typis IOANNIS CHRISTIANI HILLIGERI, Acad. Typogr.

10

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
CHICAGO, ILL.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
CHICAGO, ILL.



PRÆFATIO.



Vantum ex relatione virorum in re medica versatorum constat, duo de viginti circiter anni elapsi sunt, a quo tempore febres *petechiales* in hisce quidem regionibus rariores, *purpureæ* autem *malignæ*, quæ illarum quasi locum occuparunt, frequentissimæ fuerunt. A qua successione & morbidi schematis permutatione ægrotantes sortem paululum mitiorem contigisse videntur. Si enim præsentis anni morbosum cursum excipiamus, quo *petechiæ* de novo veluti repullularunt, indolemque non adeo malignam exhibuerunt, illæ prioribus sæculis, testantibus medicorum scriptis, tantum non semper malignæ apparuerunt; de *purpura* autem *alba* notum est,

quod quidem malignitatem interdum valde magnam coniunctam habeat, interdum autem satis benigne se gerat, & magis chronicam quam acutam periodum formet. Quam benigniorem purpuræ albæ conditionem tum primum observavi, cum abhinc quinque annis sub *Illustris Dn. PRÆSIDIS* directione orphanotrophei Halensis nolocomio præesse, & in ægrotantium curationem invigilare mihi concessum fuisset. Cumque post hæc in *Silesia* idem observare mihi contigerit, hanc materiam pro themate inaugurali eligendam eo commodiorem iudicavi, quia de purpuræ quidem albæ *malignitate* adeo constat inter omnes, ut vel solus huius morbi auditus plerisque horrorem injiciat, de benigna vero illius indole raro admodum legitur & auditur. Sicuti autem species differentes, juxta se positæ, magis elucescent: ita de utraque hic agendum decrevi, eum ordinem servaturus, ut prima dissertationis parte de purpura acuta maligna, altera vero de chronica benigna exponatur. Quibus conatibus Deus benignissime adsistat.

PARS I. DE PURPURA ALBA MALIGNA.

§. I.

ANtequam ad penitiorum hujus morbi indagationem me accingam, necessarium esse puto, ut consuetam philosophorum morem observem, & definitionem præmittam. *Est autem purpura alba maligna species februm acutarum continuarum, exanthematicarum, in qua materia quædam subtilis & fermentescens, lymphæ potissimum inhærens, per motus naturæ auctos ad corporis superficiem, sub forma pustularum miliarium albarum, quarum origo & basis, saltem peripheria, plerumque colorem purpureo-rubrum præbet, pellitur, ibidemque eliminatur.*

§. II.

Etymologiæ *purpuræ* verbosius immorari superfluum esse arbitror: nam quilibet facile cognoscit, quod hic morbus nomen a colore purpureo acceperit, cumque iste ut plurimum in principio maculas eminentiasque rubicundas exhibeat, & interdum per totam sui periodum conservet, factum est, ut priores Medici illum, ob similitudinem coloris, *purpuram; miliarem* autem a tuberculis minimis, milii magnitudinem referentibus, vocaverint. Deinde pustulas albas & limpidas passim animadvertentes *purpuræ* quidem nomen retinere, ad specierum vero differentiam in *purpuram rubram & albam* hunc morbum dispescuerunt. Germanice vocatur das rothe und weisse Friesel, a panno in superficie nodoso uti LANGIUS libr. 1. prax. p. 96. iudicat. Cæterum differentię loco notandum, *Thuanum, Neucranzium* aliosque perechias quoque *purpuram* adpellasse, hanc autem denominationem, postquam hoc exanthema innotuit, evanuisse.

§. III.

Quo tempore purpura in lucem prodierit, & quæ regio hanc foecundam prolem primum exclusit: de eo Medicorum sententiæ non concordant. Alii enim contendunt, quod in *Suevia* morbus endemius & inde 1620. *Lipsiam* delatus fuerit. Alii vero statuunt, quod *Sveci* 1630. Germaniam ingressi, & postea diu in tractu *Lipsiensi* versati, cum incolis purpuram communicaverint. LANGIVS *libr. citat.* arbitratur, quod jam HALY ABBATI, nec non FORESTO, purpura cognita fuerit; cui & collectores *Vratislavienses* mens. Febr. 1718. consentiunt. Non pauci credunt, eam sub CELSI verbis *libr. V. Cap. 28.* latitare, imo ab HIPPOCRATIS tempore derivare allaborant, & in hunc finem sequentia verba ex illius *libr. 11. epidem. 3. section. 3.* allegare solent: *siebant in febris æstivis circa septimum, octavum, vel nonum diem asperitudines quædam miliaræ, culicum morsibus fere similes, quæ tamen non admodum prodibant.* Hanc vero litem decidere instituti mei ratio prohibet.

§. IV.

Majori autem certitudine alii adfirmant, purpuram albam in *Saxonia* & imprimis *Lipsiæ* 1652. primum se manifestasse, ibique potissimum puerperas infestasse; nonnunquam vero epidemice adfligendo magnam stragem edidisse, tandem longe lateque serpendo non modo *Saxoniam* superiorem sed & inferiorem, *Lusatiam*, *Silesiam*, *Frisiam*, *Holsatiam*, *circulum rhæni* superiorem & inferiorem locaque adjacentia occupasse. Celeberr. SYDENHAMVS in *tr. de novæ febris ingressu* refert, quod novum hocce morbi genus *Angliam* & *Londinum* aggressum sit. Quin imo regiones septentrionem respicientes, ut *Dania*, *Svecia*, ab hoc morbo non sunt immunes: licet adeo frequenter non occurrat, sicuti in nostris provinciis.

§. V.

In his enim purpura alba hodie est communissimum malum, quod non solum per se homines frequenter invadit, sed

sed etiam cum aliis morbis sæpissime complicatur. Nulli ætati, nulli sexui nullique hominum conditioni parcit. Quod autem in nonnullis locis nondum adeo cognita sit, id num observatorum negligentia, an vero alii causæ tribuendum sit, in suspenso reliquendum est. Sufficiant autem hæc de *origine* purpuræ ejusque consideratione historica dixisse.

§. VI.

Dividitur purpura hæc a Medicis in duas species, nimirum in *albam* & *pellucidam*, quæ partim magnitudine pustularum, partim earum colore & materia contenta inter se differunt. Purpura enim alba habet vesiculas majores & latiores, ad variolarum magnitudinem sæpe accedentes: color earum est obscurior, eine Wasser-Farbe. Quæ vesiculæ quia multum aquæ continent, a Collectoribus *Pratistlavienfibus* im 28ten Versuch mens. Maj. 1724. p. 485. purpura *aquosa*, das Wasser-Friesel vocantur. *Pellucida* vero purpura minoribus vesiculis coloreque quasi crytallino est prædita & materia est subtilissima, vaporis instar, quare hæc vesiculæ non diu subsistunt, sed levissimo contactu destruuntur. Vid. *Clariff. STORCH in observat. ad praxin STAHL*. Præter jam dictas exanthematum species, in purpura alba maligna obvenientes, interdum aliam, quæ ad priores minime potest referri, observare mihi contigit. Scilicet eam, quæ nullas habet vesiculas, sed *nodos* profunde in cute hærentes, milii figuram præ reliquis referentes, ad tactum duriores & asperos, humore spissescente, qui ad indolem materiæ purulentæ accedit, infarctos. Hinc præ cæteris *sensu* quasi *proprio* purpura alba miliaris dici meretur; quanquam malignitatis respectu ab *aquosa* & *pellucida* parum abludat.

§. VII.

Hæc signa diagnostica *purpuram albam malignam* ab aliis exanthematum generibus e g. petechiis, variolis, morbillis, purpura rubra, urticata, scarlatina, maculis scorbuticis facile distinguunt. Præcipue autem peculiaris ille character pustularum albarum & vesicularum pellucidarum hanc diffe-

differentiam clare docet. Sicut enim *petechiæ* coloris sunt rosei, profundiusque in cute latent, nec papulis eminent; ita in *variolis*, *morbillis*, *purpura rubra* & *urticata* adfunt quidem pustulæ atque eminentiæ, sed partim magnitudine, partim colore & materia contenta cum *purpura alba* haud conveniunt. *Febris* vero *scarlatina* & *maculæ scorbuticæ* apparent exanthemate lato, rubicundo & eminentiis destituto. Cum *herpete simplici* & *miliari* convenit quidem interdum ratione papularum albarum, herpes autem certis limitibus est circumscriptus, formans quasi circulum, cujus in medio pustulæ exsurgunt: *purpura* vero *alba* latius se extendit, & nonnunquam totum corpus occupat. Porro *purpura hæc alba* cum febre, quæ in herpete non observatur, conjuncta est.

§. VIII.

Et sic cum nullis exanthematibus *purpura alba maligna* similitudine convenit; excepta *purpura alba benigna*, cum qua, oculo judice, prorsus congruens est. Nam in *purpura alba benigna* itidem adfunt pustulæ albæ, aqueo humore repletæ. Cumque hæc convenientia eos, qui hujus morbi indolem non exacte dignoscunt, facile confundat, ut nesciant, num ejusmodi exanthemata ad malignam, an ad benignam purpuram referri debeant: necesse est, tam ad prognosin securius formandam, quam ad feliciorum curationem instituentiam, differentiam & signa, quibus dignosci debeant, sollicitè indagare.

§. IX.

Equidem ratione materiæ eximia est differentia, quia autem illud signum, propter vesicularum similitudinem, in oculos non cadit, diagnosi ex hoc capite non conceditur. Quare ex symptomatibus hi morbi potissimum sunt distinguendi. *Purpura* enim *alba maligna* semper cum *febre acuta* conjuncta est, licet more febrium malignarum hoc symptoma haud raro insidiosè dissimulet; *purpura* vero *alba benigna* ut plurimum sine febre occurrit; vel si omnino febris eam comitur, est admodum moderata. Præterea longe mitiora sunt reli-

reliqua symptomata, e. g. si exanthemata ad interiores partes recedunt, tantum periculi non foveant uti in maligna. Indoles quoque contagiosa, quam purpura maligna non raro exserit, de malignitate manifesta testatur: *benigna* enim nunquam per contagium propagatur. Porro duratio, cujus generis sit purpura, certissime ostendit; siquidem *malignæ* periodus, uti omnium febrium malignarum, brevis est, *benigna* autem ut plurimum chronice affligit, & si semel evanuit, non raro novis insultibus redit; præcipue quando regimen calidum adhibitum fuit; id quod de maligna asserere non possumus.

§. X.

De *maligna* notandum, quod *gradus* malignitatis in ea dentur, ita ut illa jam majorem jam minorem morem malignum exhibeat, & pro temporis, individuorum aliarumque circumstantiarum ratione multum differat. Si enim corpus impurum, vel visceribus læsum, a purpura hac corripitur, vel ea aliis morbis malignis, v. g. petechiis, supervenit, semper deterioris indolis observatur. Huic accedit, quod, licet suæ essentia non adeo maligna sit, sæpe tamen numero per accidens deterioris indolis reddatur; quemadmodum ipsa *benigna* non raro per regimen æstuosum & medicamenta calefacientia in malignam transmutatur. *Confer. pars II.*

§. XI.

Adffligit autem *maligna* vel *epidemice*, vel *sporadice*, jam *idiopathice*, jam *symptomatice*. Purpura *symptomatica*, potissimum *pellucida*, morbis acutis, continuis, petechiis, varicellis, morbillis, pleuritidi, peripneumoniæ, febribus catarrhalibus, sive in principio sive in declinatione, accedit. Præcipue vero illud contingit in junioribus, qui intemperantius vivendo, & multum sedendo abundantiam & spissitudinem humorum sibi accumulunt. Sic in juvene viginti annorum, temperamenti Sanguineo-Melancholici, commotionibus animi obnoxio, vitæ sedentariæ dedito, & parcius bibente, aliquando sequens schema observavi: post vehementem corporis

ris motum in febrem acutam incidens tertio die icterum flavum, in tota superficie apparentem, & septimo die evanescentem accipiebat: die nono erumpebant petechiæ, quæ quidem die decimo tertio iterum disparebant, febrem autem ac deliria relinquebant. Tandem sub finem diei decimi quarti superveniebat purpura pellucida, ac tum febris omniaque symptomata sensim remittebant, ægerque pristinam sanitatem recuperabat.

§. XII.

Purpura vero *idiopathica* aliis paululum signis & symptomatibus sese manifestat: conqueruntur nimirum ægroti de ingenti lassitudine membrorum & de eximia virium prostratione; nullos tamen dolores accusant, præter sensum quandam obtusum, quem exprimunt, es sey ihnen zu Muthe, als wenn alle Glieder zerschlagen wären, und hätten kein Mark in den Knochen. Caput est turbulentum & animus dejectus. Accedit levis horror, quem æstus moderatus, cum frigore passim alternans, sequitur. Pulsus & urina mirifice variant: ille enim jam est frequens & fortis, jam tardus & debilis, hæc autem nunc spissa & turbida, nunc clara, imo aquæ instar tenuis apparet. Alvus utplurimum stricta, nonnunquam laxa est, & diarrhoea supervenit. Somnus vel admodum anxius vel interruptus deprehenditur, sæpiusque versus noctem deliria levia, præsertim paulo ante eruptionem, sese adjungunt. *Propria* autem signa, quæ semper hunc morbum comitantur, sunt angustia pectoris & præcordiorum cum anxiis & profundis suspiriis, ad lipothymiam usque adfligentibus. Tandem sub sensu in dorso compungente & pruritu intercute, die quarto vel septimo, nonnunquam vero serius circa diem nonum & undecimum, pustulæ albæ vel vesiculæ aquosæ & pellucidæ erumpunt. Quod si autem tardius, post diem decimum quartum, in lucem prodeant, purpuram symptomaticam potius, quam idiopathicam referunt. Sub ipsa vero eruptione plerumque in cute cernuntur maculæ rubicundæ, quæ deinde, si in harum medio papulæ albæ exsurgunt, circulum purpureum

um formant, quem nonnulli, (sicuti areolam inflammatoriam in variolis) bonum signum esse arbitrantur; contra autem si evanuit, vel plane non adfuit, purpuræ vel recessionem, vel specialem malignitatem inde divinare non dubitant; quod tamen experientiæ non ubique respondet. Nam purpura alba maligna crebrius sine tali circulo occurrit, vel si adest, sine ullo vestigio prægressæ recessionis perit, ut taceam, quod pellucida nunquam ejusmodi circulo prædita sit.

§. XIII.

Efflorescit vero hoc exanthema, inprimis purpura *agnosa & alba stricte sic dicta*, primum in collo & pectore, deinceps occupat dorsum, abdomen, brachia & pedes, nonnunquam manus & digitorum apices. Pellucida autem tam late sese non diffundit, sed potissimum scrobiculo cordis, ventriculo, pectori & collo inhaeret. Facta tandem placida & sufficiente eruptione omnia pathemata plerumque mitigantur, febris remittit, angustiae præcordiorum cessant, alvus antea stricta solvitur, pustulae quatuor circiter dierum spatio arescunt, squamarum instar decidunt, & æger sensim convalescit.

§. XIV.

Sed cum non semper prædicto modo succedat, verum admodum insidiosè sese gerendo varia morborum genera mentiatur, nec non aliis morbis (XI.) superveniat, multam crucem figit Medicis, ut in principio morbi anguem, qui sub herba latet, dignoscere possint. Hinc, ut ejus clandestina atque fallax indoles ea, qua fieri potest, circumspeditione investigetur, omnibus quidem commendandum, a paucioribus autem expectandum est. Nam multæ notæ, quibus Medici hunc hostem, uti leonem ex ungue, detegere possunt, ita sunt comparatæ, ut ex frequenti visitatione ægrotorum, sedula motuum animalium atque vitalium observatione, nec non exacta comparatione omnium symptomatum & circumstantiarum, potius addisci, quam describi queant. Quare tantummodo aliqua signa, quibus hoc miasma malignum, sub

variorum morborum Schemate delitescens, cognosci possit, suppeditabo. In his *primum* est: si ægroti nesciunt, se ægrotare, neque æstum neque dolores sentiunt, bene ingerunt, & tamen tanta virium prostratione laborant, ut decumbere cogantur; qua de re *Illustr. Dn. PRÆSES in conspectu Theoret. Pract. p. m. 606.* singulare exemplum produxit. *Deinde* si animus absque manifestis causis est abjectus, vel ægrotantes præter consuetudinem sunt affabiles, & adeo occulte delirant, ut vix Medicus mentis vacillationem agnoscere possit. *Tum* quando sub mentis alienatione horrores accusant, & integumentum ambabus manibus ad collum usque extensum sustinent. *Post* si doloribus cardialgicis vehementissimis cruciantur, & de compressione quasi a mole proveniente circa scrobiculum cordis conqueruntur, cum tamen in principio morbi nihil senserint. *Præterea* si febris acuta una cum symptomatibus, post primum aut secundum septennarium, remisisse videtur, neque tamen æger euphoriam percipit. *Denique* quando febres intermittentes simulant, & die quasi vacuo ægroti tanta prostratione virium laborant, ut orthostadii esse nequeant.

§. XV.

Quod ad *subiecta* attinet, supra jam dictum, hoc morbo præcipue affligi homines plethoricos & vitæ sedentariæ deditos, succo lymphatico, cui hoc miasma malignum præ reliquis humoribus est inimicum, abundantes. Cumque ætas juvenilis ut plurimum lymphæ scateat, etiam præ ætate consistentiori cum ejusmodi morbis vexatur; inprimis quando temperamentum sanguineo-phlegmaticum, lymphæ accumulandæ favens, in ea conspirat. Præ reliquis vero in sexu sequiore *puerperæ* crebrius hoc malo discruciantur: quanquam enim non omnis purpura puerperarum est maligna, sed sæpius a causis accidentalibus proveniens, incongruente tamen regimine & medicatione facile in malam indolem convertitur. Huc præcipue pertinent fortiores sub partu impulsus,
nimius

nimius conclavium calor, remedia pellentia, analeptica spirituosa, quæ omnia lochiorum turbis ansam præbere solent.

§. XVI.

Quamvis autem juniores, & in sexu muliebri puerperæ sint purpuræ hujus primum subjectum; ætate tamen pro-
vectiores non plane excluduntur. Vitæ enim otiosæ dediti, hæmorrhoidibus corruptis laborantes, venæsectionem ad-
suetam negligentes, nec non immoderate viventes, hoc ad-
fectu non ita raro corripiuntur, imprimis si febribus acutis
afflicti calidis medicamentis & perverso regimine utantur,
sive constitutio epidemica concurrat. Quin immo purpura
aliquando, licet rarius, laboriosos tentare solet.

§. XVII.

Ex his colligimus, causas remotas hujus purpuræ esse
omnia ea, quæ humorum abundantiam atque depravationem
conciliant, nimirum diætam lautam, cum vita otiosa con-
junctam; ubi excretiones quotidianæ, quæ per diapnoën fi-
eri debent, impediuntur. His quando accedit aër nebulo-
sus, particulis putridis refertus, dispositio interna in actum
facilius deducitur. Neque minus celeres caloris ac frigoris
vicissitudines ad genesin purpuræ, præsertim ad ejus constitu-
tionem epidemicam, multum contribuunt. Calor enim in-
tensus motum intestinum efficiendo, vel progressum sangui-
nis augendo, varia inquinamenta salino-sulphurea generat, &
ad peripheriam propellit; frigus autem, quando subito acce-
dit, & feri acrioris transpirationem impedit, lymphæ conta-
minatur, omniumque humorum crasis pervertitur. Eadem
est ratio, cur motus corporis vehemens, præcipue in minus
adsuetis, hoc malum facile producere possit.

§. XVIII.

Non minus ad causas antecedentes referri possunt aliæ
excretiones suffaminatæ, ut diarrhoea, coryza, ulcera diu ma-
nans, sudores particulares pedum vel manuum, imprimis

critici, qui certis temporibus quibusdam familiares sunt. Præ aliis autem puerperæ a suppressione fluxus lochialis purpuram incurrunt; ubi status antecedens graviditatis omnino etiam in censum venit. Si enim eo tempore non solum ex vitio diætæ & neglectu excretionum variæ fordes colliguntur, sed etiam, ob adfluxum humorum versus uterum copiosiores, vasa gastrica distenduntur, ac sanguinis circuitus per illa difficilis redditur: tunc humorum consistentia & crasis læditur, & temporis progressu major corruptionis gradus producitur. Quæ colluvies quando post partum neque mature neque commode educitur, per totum corpus, fermenti instar, disseminatur, & purpuræ generandæ aptissima est; præcipue si febris lactea una cum medicatione impetuosa, & regimine calido accedit.

§. XIX.

Porro ad causas antecedentes pertinent alia exanthemata, male tractata, vel retropulsa, e. g. tinea, scabies, purpura alba chronica. Materia enim regressa majorem subtilitatem accipit, & lymphæ reliquisque humoribus sese insinuando orgasmum & motum fermentescentem excitat: unde plures resolutiones & generationes impuritatum eveniunt.

§. XX.

Præterea in causis occasionalibus animi pathemata, nempe ira, timor & tristitia, non sunt omittenda; siquidem varias alterationes & motuum turbas tam in solidis quam fluidis partibus excitant; unde plures particulae heterogeneæ, ad hunc morbum fovendum aptissimæ, in massa humorum progignuntur.

§. XXI.

Quamvis vero omnes recensitæ causæ ad miasma purpureum procreandum valeant, maxime tamen omnium tres impostores & hostes, nimirum vita sedentaria, medicamenta calefacientia & regimen calidum illud adsciscunt. Vita quidem sedentaria est quasi matrix, quæ materiam morbiferam
sup.

suppeditat: medicamenta autem sudorifera & regimen æstusosum hanc materiam substratam veluti animant, foecundant, nutriunt, augmentant, & tandem exclusionem adjuvant. Quod vero vita sedentaria sit causa principalis hujus mali, inde abunde patet, quia laboriosi, licet diæta impura fruantur, variosque errores circa reliquas res non-naturales committant, rarius tamen in hunc morbum incidunt. E contrario homines sedentarii, coeli gravitatem cane & angue perius effugientes, regulis diæteticis exactissime obtemperantes, potissimum huic adfectui sunt obnoxii. Quod adeo verum est, ut etiam sedentarii, qui inferioris sortis sunt, & minime lauta diæta utuntur, nec potum Caffee, cui hic morbus a multis absone tribuitur, bibere solent, a purpura alba maligna idiopathica & symptomatica adfligantur. Sic v. g. in *Silesia* & *Lusatia* purpura in pagis, ubi incolæ, propter negotium, quod cum linteis habent, vitæ sedentariæ multum sunt dediti, tam frequenter observatur, ac in civitatibus. Si quis autem opponeret, hæc otii vitia diu in Europa regnasse, purpuram vero non adfuisse; huic responderem, quod aliæ febres exanthematicæ, inprimis petechiales, quæ cum purpura maligna pari passu ambulant, notæ fuerint.

§. XXII.

Quod vero ex medicamentis calidis exanthemata fieri possint, jam CELSVS *libr. 18. p. m. 357.* adfirmavit, & quantum illa cum regimine coacto ad purpuram excludendam valeant, frequentes observationes satis docent.

§. XXIII.

Explicatis causis antecedentibus, quæ ad productionem & propagationem purpuræ albæ malignæ conferunt, ad causam proximam materialem ejusque genuinam indolem progredior. Indicavi §. XV. homines multum de succo lymphatico participantes, purpuræ subjectos esse & §. XVII. sequent. ostendi, omnia ea, quæ massam humorum, præcipue autem lympham, contaminant, hoc malum adferre: unde liquet,
quod

quod causa proxima purpuræ albæ malignæ sit lymphæ depravatio, & quidem specifica, a corruptione, in aliis exanthematibus, & præcipue chronicis præsentē, ratione subtilitatis, acredinis & malignitatis longe differens. Subtilem & volatilem ejus indolem testatur contagium: facile enim humoribus sese insinuat, inprimis in constitutione epidemica. Acredinem vero sulphureo-salinam probant agilitas, penetrantia, sensus rodens & ardens. Huic accedit, quod non solum subiecta, his principiis sulphureo-salinis prædita, frequentius invadere soleat, sed & per ejusdem indolis remedia purpura hæc generetur & augeatur. Quod autem salinæ particulæ sint acidæ indolis, partim ex sudore, odorem feri lactis spirante, partim ex coagulatione & grumis sanguinis, quos HAMILTON in *tr. de febre miliar.* p. 556. per dissectionem cadaverum, febre miliari extinctorum, in vasis capacioribus & ventriculis cordis detexisse testatur, adfirmare student.

§. XXIV.

Quamvis autem omne inquinamentum purpureum subtilem contineat materiam, discrepat tamen illa subtilitatis gradu; ex quo variarum pustularum differentia (§. XIV.) deducenda videtur. Quanquam enim nonnulli arbitrantur, diversitatem coloris harum papularum provenire a corpore reticulari mucoso, quod MAVRITIVS HOFFMANNVS in *disquisitione corporis anatomico-pathologica* pro principio colorum habet, cum tamen hoc non ubique obvium deprehendatur, verosimilius est, materiam tenuissimam per vasa capillaria arteriosa subcutanea ad cutem deferri, & ob summam subtilitatem cutem permeare, cuticulam elevare, vesiculasque pelucidas formare: quando autem non adeo volatilis, sed cum multo sero commixta, cutem quidem transire, locumque medium inter cutem & cuticulam occupare, ob serum autem crassius papulas, pristinis colore obscuriores, & tactu duriores producere; si vero miasma illud purpureum particulis spissis aut pinguibus implicatum ad peripheriam protrudatur, tunc

tunc in cute, quoniam eam non potest transire, remanere, ac cuticulam superincumbentem attolere nodulosque asperos formare.

§. XXV.

Quamvis vero varietas harum pustularum a *diversitate materiae* provenire videatur, separatio tamen illius a reliqua massa humorum, & propulsio ad peripheriam, neutiquam ex necessitate physica contingit, seu a materiae figura, spiculis aut effervescentia acidi & alcali, dependet, sed potius est motus & actus naturæ, quo hocce inquinamentum ex nexu, quem cum laudabilibus humoribus habet, placide semouetur, & tandem excernitur.

§. XXVI.

Ad *prognosticam* considerationem mihi accedenti ante omnia perpendenda erit sententia HIPPOCRATIS *Sect. II. aphorif. 19.* quod scilicet morbi acuti non in totum sint certæ præ-nunciationis, neque salutis neque mortis. Quare etiam difficillimum est, in hac acutarum specie aliquid certi adfirmare. Interim purpura, in primis pellucida, nunquam periculo caret; siquidem non solum in principio sub vario morborum schemate insidiosè invadit, sed & in progressu variis dolis Medicum ludit. Non raro enim contingit, ut optima signa bonæ spei adsint, nihilo tamen minus æger moriatur, contra in aliis periculosissima indicia interdum non fiant lethalia. Quapropter ob plures respectus præceptum iudicium a Medico debet esse alienum, & in prognosi formanda eximia circumspectio adhiberi. In hunc finem non tantum dispositionem corporis, verum potissimum conditionem animi intueatur. Quod si enim ægrotus mentis fortis & constantis est, tunc motus moderatius procedunt, & periculum ex voto profligatur; licet materia morbifica & quantitate & qualitate eximie peccet. Contra si tenerum ac anxium habet animum, motus ac mores facile fiunt maligni, & morbus soepe fit funestus. Hinc evenit, ut homines, qui ex metu & formidine in hanc

C

pur-

purpuram prolapsi sunt, difficile emergant, alii vero, qui sunt animi tranquilli, perniciosæ indolis ignari, ut plurimum convalescant.

§. XXVII.

Omnia itaque signa, ex quibus animi & motuum abjectio judicari potest, admodum sunt suspecta: nimirum trepidatio manuum, adfectus lipothymici, soporosi, hemipletici, paralytici, & quidem veri; si enim ægrotantes ob tensiones & stricturas spasticas membra movere nequeunt, major spes recuperandæ sanitatis adfulget. Nimia quoque profusio sudoris signum fidum non præbet: sic enim vires non solum imminuuntur, sed & humidum, quod ad materiam causticam diluendam necessarium est, ultra modum dissipatur. Eam ob causam ne copiosa quidem missio *urinae tenuis* aut sanæ similis, præcipue si jam signum coctionis jam adfuit, & circa diem criticum redditur, ab omni suspitione aliena est. Indicat enim spasmos in abdomine, quibus humores versus partes superiores restringuntur, & deliria ac anginodea paræthemata facile producuntur. Porro mali atque sæpius funesti ominis est, si exanthema adeo inconstans reperitur, ut modo appareat, modo evanescat; in primis vero quando *wateria* repulsa tenaciter partibus interioribus inhærens, novam expulsionem respuit. Miasma enim malignum, quod a consortio massæ humorum separatum, atque ad corporis peripheriam amandatum fuit, longe deteriorem naturam induit: vnde ad viscera nobiliora iterum delatum, instar veneni operatur. Oriuntur inde anxia naturæ conamina, adfectus cardialgici, oppressio pectoris, ad suffocationem usque, constrictio faucium, dolores colici, quasi convulsivi, inflammationes viscerum, & nisi feliciter expellatur, sphacelosæ corruptiones. Quæ denique purpura homines, induratione vel alia læsione alicujus visceris laborantes, occupat, plerumque male cedit. Non minus si vires jam per alium morbum fractæ sunt. Hinc in puerperis semper multum periculi fovet; quo-

quoniam eæ jam per partum sunt enervatæ, vulneratæ & in eximio sanguinis orgasmo constitutæ.

§. XXVIII.

Quemadmodum autem *languor* virium atque *defectus* motuum nocet, ita motus quoque *impetuosus*, spasmi scilicet vehementes & convulsiones felicem euentum minime promittunt. Si enim circulus humorum progressivus admodum celer est, & partes externæ constrictæ sunt: purpura inæqualiter erumpit, & congestiones particulares versus pectus, fauces atque caput contingunt. Vnde angustia præcordiorum & mentis alienationes nascuntur. Equidem delirium circa dies criticos, priusquam purpura efflorescit, accedens, horisque matutinis, post somnum, aliquo modo remittens & cum transpiratione conjunctum, non adeo metuendum est: quoniam ut plurimum post exanthematum proventum cessat. Ejusmodi leve delirium a die septimo usque ad decimum quartum, subinde vigesimum diem continuans, aliquoties observavi, & tamen ægroti feliciter morbum superavere. Ast si sub delirio plumas in lecto colligunt, floccos de vestibus evellunt, plicas & rugas tegumentorum explanant, dentibus strident, oculosque torquent & balbutiunt, plerumque moriuntur. Idem sentiendum est, si mentis vacillatio, & alia symptomata, a recessione purpuræ inducta, post expulsionem secundam non remittunt.

§. XXIX.

Quod ad *diarrhæam* attinet, illam, si est moderata, & in principio morbi accedit, sine detrimento esse, excedentem vero & cum doloribus spasticis stipatam, facile efficere periculosam purpuræ recessione, auctores uno fere animo contendunt. Verum exempla, in quibus singulis diebus 6-8-10-14-16 sedes per totum morbi cursum, sine damno fuerint, *Illustr.* *Dn.* PRÆSES mecum communicavit. Denique quo firmior tranquilliorque ægri animus est, & quo placidiores motus, ac eruptio purpuræ æqualior: eo melior morbi exitus est sperandus.

§. XXX.

Quemadmodum vero Medicus in *prognosi* providus esse debet: ita in *curatione* purpuræ albæ malignæ major adhuc circumspectio requiritur. Est enim morbus valde intricatus, in quo tam excessu quam defectu errare possumus. In excessu peccamus medicamentis calidis & regimine coacto. Si enim purpura hac ratione generatur, multo magis deterior redditur. Etenim non solum impuritates accumuluntur, & malignitas augetur, sed & morbus protrahitur, febris & reliqua symptomata exacerbantur, humidum plus iusto exhalat, vires imminuuntur & exanthemata, vi expulsa, ad interiora facile recedunt. *Hoc damnum Sydenhamus iam perspexit, p. m. 234 dicens: Appellanda hic venit experientia, qua magistra edoctus sum, & purpureas febrium maculas, & variolarum pustulas nigras eo promptius sumsisse incrementum, quo magis calefieret aeger (scilicet per calida remedia & regimen sudoriferum) easdem vero pro ratione moderatioris regiminis, quod iis omnino debetur, decrescere solere ac minui.* Emetica autem quidquid remediorum heroicorum patroni ad emesin tuendam proferant, humores nimis impellunt, angustias præcordiorum una cum afflictionibus anginodeis & deliriis efficiunt. Præterea absonum est, ejusmodi materiam subtilem & halituosam, per totam humorum massam disseminatam, crassa methodo evacuare. *Purgantia* vero intestinalia stimulando, humores a peripheria ad partes interiores revocant, transpirationem supprimunt, exanthematum eruptionem prohibent, vel iam expulsa ad interiora reducunt. Vnde tormina intestinorum & aliquando diarrhœæ lethales sequuntur.

§. XXXI.

In *defectu* peccamus, quando ægrotans nimis negligenter tractatur, & liberiori accessui aeris frigidi exponitur; siquidem purpura laborantes sunt admodum sensibiles, & levissimam auram ægrius ferunt, præsertim si ægroti antea molestra-

stragulorum obruti atque conclavium calore macerati fuerint. Ideoque calida tegumenta successive remove & hypocausti calorem sensim temperare convenit, ne recessio periculosa subsequatur.

§. XXXII.

Maxime autem in curatione eo respiciendum est, ut materia maligna non impetuose, sed successive evacuetur. Deinde quoque symptomatum, quæ huic morbo superveniunt, & crebrius felicem eventum impediunt, ratio est habenda. Quemadmodum autem natura hoc miasma noxium per universale corporis emunctorium excernere solet, ita & Medicus hancce viam, ad eliminationem hujus materiæ subtilissimæ commodissimam, eligere debet. Correctio enim, secundum methodum vulgarem, hic nullum locum invenit, quia materia maligna nunquam cum reliquis humoribus in gratiam redire potest. Deinde summa tenuitas atque volatilitas hujus miasmatis, nec non temporis brevitās, obsistit, quo minus materiæ alteratio ex voto succedere possit.

§. XXXIII.

Ad primam itaque indicationem nempe materiæ malignæ per poros cutis excretionem obtinendam, adhiberi possunt temperantia, demulcentia & lenia bezoardica, e.g. pulveres ex oculis cancri ppr. conch. citrat. corall. ppt. C. S. igne ppt. antimon. diaphoret. bezoard. mineral. parati, quibus pro circumstantiarum ratione major vel minor portio nitri admisceri potest. Conducunt quoque hic *portiones* ex aquis destillatis, diapnoicis, temperatis, nimirum fl. acaciæ, card. bened. cerasor. nigr. galeg. plantag. scabios. scord. scorzon. fl. sambuc. tiliæ &c. compositæ, quæ vel seorsim, vel cum prædictis pulveribus mixtæ, ter vel quater per diem ad aliquot cochlearia propinari possunt. Pro *potu* ordinario, imprimis in principio morbi, decoctum ex hordeo vel auena, rad. scorzonner. cichor. rasur. C. C. paratum, & cum succo citri imprægnatum ægro commendari potest. Hoc enim æ-

stum moderat, sitim extinguit, & acrimoniam per partes suas gelatinosas temperat. Cerevisia autem, nisi sit bene defœcata, facile tormina atque diarrhœam excitare solet. Quando vero æstus remisit, & morbus est in declinatione, essentiæ alexipharmacæ temperatæ e.g. scord. pimpinell. alb. vincetox. cum spiritu nitri dulci sociatæ, per aliquot temporis spatium in usum trahi possunt, quo lenis transpiratio conservetur, & recrementa impura subtiliora, in massa humorum adhuc delitescencia, e corpore proscribantur. Crassiores autem impuritates, primis viis inhærentes, in fine per lenia laxantia rhabarbarina, mannata, pil. STAHL. &c. educi possunt.

§. XXXIV.

De *regimine* notandum, quod nonnulli Medicorum circa linteaminum mutationem admodum sint scrupulosi, nec eam sæpe post aliquot hebdomadas concedant: Ast quoniam ægroti, dum in sudore detenti, & quasi macerati, fiunt teneri, & ad levem auram perfrigescunt, purpuraque sic facilius recedit, quam si madidum indusium removetur, tum a rigore hic remittere & madidi linteï mutationem permittere debemus. Circumspectio autem ea sit, ut duæ prius mapulæ calefactæ, (gewärmte Servietten) altera quidem pectori, altera vero dorso subjiciatur. Denique si æger convaluit, cauere sibi debet, ne aëris injuriis statim sese exponat, sed tegumentis corpus bene muniat, præcipue sexus sequior partes inferiores defendat, sensimque aeri liberiori adsuescat, necesse est.

§. XXXV.

Quod ad *alteram indicationem*, nimirum symptomatum tractationem, attinet, generatim notandum est, quod sine morbi præjudicio eam instituere debeamus. Vnde si circulus humorum nimis impetuose agit, & partes solidæ spasmis admodum sunt constriktæ, cum medicamentis temperantibus ac demulcentibus lenia & secunda sedantia sunt conjungenda,
e. g.

e. g. tinct. papaver. rhoead. liquor. anodyn. HOFFMANN., in aquis diapnoicis propinari possunt. In motibus spastico-convulsivis utilitatem præstat pulvis lumbricor. terrestr. ad gr. vj. pulveri supra descripto commixtus. Pectoris angustias lenit pulvis cort. cascarill. cum pulvere temperante & bezoardico exhibitus, nec non essent. pimpinell. alb. parca & repetita dosi propinata. Adfectibus faucium vel cum eadem essentia, quæ absque vehiculo ad x. guttulas exhibita, adfluxum humorum discutit, vel cum gargarismatibus ex speciebus solventibus, discutientibus, lenientibus, & pro circumstantiarum conditione adstringentibus paratis, in principio subveniendum. Quando enim malum increbuit, & præclusio spiritus una cum deliriis iam adsunt, est res calamitatis plena. Externe autem in congestionibus pertinacibus, versus pectus & caput contingentibus, frictiones & adplicationes vesicarum, aqua calida repletarum, usum haud contemnendum pollicentur.

§. XXXVI.

Vbi vero *languor motuum* atque defectus virium observatur, illi modeste sunt excitandi, hæ autem roborantibus & analeptics refarciendæ, nimirum aqua cinamom. sine vino cerafor. nigror. fl. borraginis, bugloss. lilior. convall. naph., conserv. rosar., syrup. rub. idæi, essent. dulc., tinct. corallior. Si *purpuræ recessio* metuenda, potus calidus Théë aut Coffée non adeo saturatus, vel potiones diapnoicæ analepticæ prosunt. Quod si vero exanthemata jam recesserint, nec potiones prædictæ ad illa expellenda suffecerint, usus sulphur. antim. aurati ultimæ præcipitationis ad gr. f. grij eximiam utilitatem præstat.

§. XXXVII.

Alvi obstructio, inprimis si diu continuat, in hoc adfectu nocet. Qua propter per juscula pinguia, avenacea, aperta est servanda; si autem his non solvitur, aut ægri a jusculis talibus abhorrent, sine metu vel per clyisma emolliens, vel

vel per pil. balsamicas, aqua foeniculi solutas, aperiri potest. Hæ enim non stimulant, sed tantummodo alvum sui officii admonent, & simul diaphoresin cum eruptione purpuræ promoveant. Metus vero, quem nonnulli de purpuræ recessione hic fovent, purgantibus fortioribus, neutiquam autem his pilulis innititur. Quando autem *diarrhœa moderata* huic morbo supervenit, potius est toleranda, quam positive sistenda, cessat enim ut plurimum sub usu pulverum, ex ocul. cancr. ppt. corall. rubr. ppt. antimon. diaphoret. una cum aliquot granis nitri paratorum. Licet enim nitri usus hic multis suspectus videatur, tantum tamen abest, ut in minori quantitate diarrhœam excitet, ut eam potius successive sufflaminet. Quod si vero alui profluviū est *impetuosum* motibusque spasticis conjunctum, pil. STAHL. & tonica securiora, inter quæ cortex cascarill. eminent, sunt adhibenda.

§. XXXVIII.

Quando puerperæ hoc malo adfliguntur, lochia plerumque sunt obstructa, neque per dextram medicationem facile revocari possunt. Si autem aliquando cum purpura conspiciant, pro beneficio illa agnoscenda sunt. Falsum enim est, quod WILLISIVS de noxio hoc fluxu in adfectibus cutaneis prædicavit. Quemadmodum vero directa lochiorum promotio locum non habet: sic calida uterina pessimo effectū in hunc finem propinantur. Contra pulveres supra descripti, cum aliquot granis succin. alb. & rad. ari ppt. secure adhibentur, conjunctis subinde pilulis STAHLIANIS.

§. XXXIX.

De Venæsectione adhuc monendum, quod si primo vel secundo die morbi, præcipue in subjectis plethoricis & adfuetis, instituat, eximiam vtilitatem comprobet. Eruptionem enim exanthematum faciliat, variaque fontica symptomata avertit. Si vero purpura iam adest, cautius mercandum. Interim in statu summe plethorico, in primis in puerperis, obstructione lochiorum laborantibus, aliquando sanguinis missio, licet

licet purpura iam adsit, est necessaria, quod *Illustr.* HOFFMANN. passim in scriptis suis, & præcipue in *dissertatione de Venæsectionis prudenti administratione*, solidis rationibus probavit, multisque exemplis confirmavit.

§. XL.

Restat denique de *præservatione* purpuræ albæ malignæ in *puerperis* quædam adjicere. In aliis enim subjectis præservatio specialis locum non habet, quoniam purpura alba maligna non, uti chronica, certis anni temporibus, nonnullos homines adfligere, sed non habito respectu, ad ætatem, sexum, tempora &c. plerumque inuadere solet. Ne itaque puerperæ hoc malo corripiantur, quædam *ante, sub & post* partum sunt observanda. *Ante partum* omnia quæ humorum abundantiam & succorum depravationem conciliant, sunt vitanda. Cum autem sub exactissima diætâ superflua sanguinis quantitas sæpe gignatur, atque impuritates colligantur, necesse est, ut sanguis bis vel ter per Venæsectionem detrahatur, & sordes per lenia laxantia, e.g. rhabarbarina, mannata, sal anglicanum, pilulas balsamicas evacuentur. Potissimum vero placidus corporis motus puerperis est commendandus, quo circulus humorum æqualis obtineatur, spissitudo sanguinis ejusque stagnationes removeantur. Potus sit bene defœcatus, dilutus atque sufficiens, regimen temperatum & animus tranquillus. *Sub partu* fugiantur refrigerationes partium inferiorum æque ac pellentia, calor conclavium, & præcipue noxia illa ad laborem partus instigatio. Hæc enim vires exhauriunt, atque orgasticam commotionem periculosamque diathesin humoribus inferunt. *Post partum* denique eo allaborandum, ut fluxus lochiorum impetretur, & impuritates circa uterum tempore graviditatis collectæ, per remedia, §. XXXVIII. indicata, educantur. Evitentur vero omnia calefacientia, regimen sit temperatum, potus non nimis calidus nec frigidus. Hisce probe observatis purpura non facile est metuenda, vel si etiam puerperas invadit, plerumque insultus erit lenior omniaque symptomata mitiora.

PARS II.
DE
PURPURA ALBA BENIGNA
SEV CHRONICA.

§. I.

EXposita purpura alba *maligna* instituti ratio postulat, ut ad secundam dissertationis partem, nimirum purpuræ albæ *benignæ* explicationem jam progrediar. Cum vero in parte prima quædam, quæ huc pertinent, præmittere debuerim, brevibus me expediam. *Est autem purpura alba benigna species morbi exanthematici, in quo materia seroso-lymphatica acris, in massa humorum oberrans, motibus plus vel minus auctis, sub forma vesicularum pellucidarum minimarum, semen milii repræsentantium, propellitur.*

§. II.

Rarius hæc purpura occurrit, & adhuc rarius Medici in scriptis suis ejus mentionem faciunt, quia ut plurimum vel cum maligna confunditur, vel ad genus scorbuti refertur. Quæ de causa purpura scorbutica, ein scorbutischer Ausschlag, vulgo adpellatur. Verum uti verus scorbutus in nostris provinciis rarius est, ita, ubi omnino occurrit, a purpura hacce ratione exanthematum formæ, aliarumque circumstantiarum (§. XII.) discrepat. Rectius itaque ob indolem benignam, *purpura benigna, vel chronica*, quoniam sæpe diu durat, dicitur. Quamvis enim accurate cum purpura maligna quoad pustulas conveniat: tamen symptomatibus æque ac indole materiali ab illa differt; uti parte Ima §. X. demonstravi. Videntur vero etiam respectu materiæ duplici modo discrepare: primum ratione humorum: In purpura enim maligna *lymphæ* stricte sic dicta subjectum primum, in benigna autem vitium potissimum in *sero* consistere vero simile est. Ac pro diversa horum

rum humorum indole differre quoque corruptionem quivis facile intelligit. in purpura enim maligna corruptio, ob lympham pinguem, est *fermentativa*, in benigna vero ob copiosum principium salinum, sero admixtum; magis *salsa*.

§. III.

Quod autem in purpura alba benigna sit corruptio *salsa*, probat primum ejus origo: ex sanguine enim resoluto potissimum provenit, & hinc omnia, quæ sanguinem in serum colliquant, ad hunc adfectum contribuunt. Deinde *salsam* quoque corruptionem confirmat *sensus rodens*, qui hic longe major, quam in maligna est. Idem testatur duratio ejus; siquidem hæc purpura more omnium adfectuum, ex corruptione feri falsi ortorum, ut scabies, herpes, purpura rubra, diu adfligere solet. Tandem testimonio sunt *observationes* quædam *speciales*, nimirum si quis huic malo obnoxius, ulcus manans vel fonticulum in aliqua parte habet, hæc raro a purpura infestatur, quod adhuc nuperrime in femina sexaginta, & quot excurrit, annorum observavi. Quamvis enim hæc in pectore, dorso, abdomine, pedibus & brachio dextro purpura hacce adfligeretur; tamen in brachio sinistro, in quo fonticulus erat, nulla purpura erumpebat, sed serum acre illo tempore magna copia per ulcus artificiale emanabat.

§. IV.

Hæc purpura ut plurimum est *symptomatica*, & adfectibus hypochondriacis, hysteriis, arthriticis, febribus tertianis &c. superuenit; nonnunquam autem *idiopathice* adfligit, & tum vel *sine febre* accedit, vel cum *febre mitiori* est conjuncta. Si cum febre est complicata, sentiunt ægri lassitudinem membrorum, horripilationem, æstum moderatum, angustias præcordiorum, in dorso & artubus tensiones ac stricture spasticas, & sub eruptione in cute ardorem, pruritum & sensum pungentem, donec tandem vesiculæ albæ vel maculæ rubræ, in quarum medio pustulæ albæ pellucidæ exsurgunt, in collo, pectore, & dorso compareant. Adpetitus vero non adeo

prostratus, & somnus nonnunquam satis tranquillus est. Postquam autem exanthemata effloruere, febris omniaque symptomata cessant, pustulae intra spatium aliquot dierum exarescunt, & sic omnia ex voto succedunt. Quod tanto magis fit, si *sine febre* invadit: Nam ægroti vix aliquid, præter molestiam quandam circa pectus & pruritus inter cutem, persentiscunt, & hinc ut plurimum orthostadii negotiis suis præse posse possunt.

§. V.

Quod si autem purpura alba *benigna*, more plerumque solito, per medicamenta & regimina calida expellatur, benignam indolem amittit, symptomata exasperantur, anxietates præcordiorum gravissimæ nec non afflictiones syncopicae invitantur, sudores largi (ad quos hic morbus per se admodum proclivis est) eliciuntur, ægri vires consumuntur, & tantum abest, ut purpura imminuatur, ut potius protrahatur & sæpe in malignam convertatur.

§. VI.

Quod ad *subjecta* attinet, corripuntur hoc adfectu non solum ætate provectiores, sed & juniores; præsertim autem infantes, quos primis post partum diebus occupat, & sæpe per anni spatium interrupte vexat. In adolescentia ætateque provectiori invadit potissimum homines plethoricos, spongiosos, sero abundantes, sedentarios, perspirationis negligentes, adfectibus spasticis obnoxios, hæmorrhoidarios corruptos, feminas hystericas; inprimis vero *puerperas* & *lactantes*, quæ vel ob lactis consistentiam mucidam, vel tubulorum lactiferorum obstructionem, tensiones ac tractiones spasticas in mammis experiuntur, vel inflammatione aut abscessu mammarum laborant. Sed hæc purpura magis est particularis, & præter mammas raro alias partes occupat.

§. VII.

Progredior ad explicationem *causarum præcatardiacarum*; ubi omnia quidem ad genesis hujus miasmatis conferre possunt,

sunt, quæ massam humorum inquinant, multum feri generant, illudque rarefaciunt. Referuntur autem hic plerumque diæta cruda, salsa, acida, potus fermentescens, aër turbidus, humidus variisque particulis heterogeneis refertus; si vero pensitemus, quod laboriosi, qui cibis salsis & fumo induratis vescuntur, atque in aere impuro & nebuloso vitam transigunt, vel nunquam vel rarissime a purpura hacce infestentur, contra divites otiosi, circa aërem & diætam admodum scrupulosi, potissimum ab illa corripiantur: manifestum fit, causas illas procatarcticas, non nisi admodum restrictæ & limitate esse accusandas.

§. VIII.

Majorem autem attentionem merentur *excretiones retentæ*, utpote transpiratio suppressa, alvi adstrictiones pertinales, mensium, hæmorrhoidum & lochiorum imminutio aut plane obstructio, nec non infarctus, indurationes ac læsiones viscerum, secretioni dicatorum. Quando enim vel ob partium fluidarum vel solidarum vitium, se & excretiones non rite succedunt, non solum variæ impuritates in magna copia colliguntur, verum etiam ob motuum anomalam, quæ ut plurimum accedit, sordes attenuantur, ipse sanguis in serum acre resolvitur, & ad purpuram disponitur. Quare purpura alba benigna adfectus spasticos, hystericos, hypochondriacos & arthriticos sæpe comitatur. Non minoris in purpura hacce producenda sunt efficacix remedia & diæta calida, aliquoties jam accusata. Qua occasione quæstionis, num etiam *potus Coffee* hic aliquid contribuat, non obliviscor. Dissentiunt hic Medici, qui autem via limitata incedunt, plurimum assensum merentur. Scilicet si hic potus ab otiosis & ad purpuram dispositis *saturatius* bibitur, non potest non symbolam suam conferre. Fabæ enim tostæ oleum empyreumaticum porrigunt, quod humores commovendo, resolvendo variasque particulas salino-sulphureas, tam genesin, quam expulsionem hujus miasmatis adjuvat. Pertinent quoque ad causas

procatacticas *tempestas fervida & motus corporis vehemens*, inprimis æstate institutus. Hinc sæpe sub ipso motu fortiori observare licet, quod in collo & pectore, sine ulla molestia, vesiculæ pellucidæ adpareant, post 24. horarum intervallum autem iterum evanescant.

§. IX.

Quid *regimen calidum* ad exclusionem hujus purpuræ conferat, ex iis, quæ superius dicta sunt, colligere licet: certe non solum in morbis, sed & in statu sanitatis eandem parturire solet; quando enim sedentarii rebus tranquillis tam hyeme in conclavibus calefactis, quam æstate multis tegumentis corpus a libero aëris accessu nimis sollicitè defendere allaborant, humores nimis resolvuntur, & laxato tono impuritates salino-sulphuræ ad peripheriam pelluntur. Hanc ob causam in iis locis, v. g. *Silesia, Lusatia Saxonia superiore Thuringia*, ubi homines vestibis pelliceis incedunt, imo nonnulli thoracibus & pulvinariis pectoralibus, (*Brust-Rüßlein, Schwanen-Rüßlein*,) æstivo quoque tempore corpus ab aëre præmuniunt, purpura alba benigna sæpius occurrit. Contra vero in *Guestphalia, Hassia*, ubi incolæ ejusmodi sollicitum regimen non amant, sed vitam duriorē agunt, hoc exanthema-raro observatur.

§. X.

Maxime omnium vero vita sedentaria ad generationem hujus purpuræ contribuit. Hac enim ratione sanguis justo accumulatur, motus partium fluidarum & solidarum debilitatur, se & excretiones impediuntur, & in subjectis dispositis porta huic malo aperitur. Quare etiam hic morbus sedentariorum proprius est.

§. XI.

Denique adhuc inquirendum, cur infantes quidam, recens nati, ab hoc adfectu corripiantur. ET TMVLLERVS *tom. III. p. 528, in valetudinar. infantil.* arbitratur, quod origo vel a matrum scorbuto, vel ab aëre per respirationem attracto, ejus-

eiusmodi tenellulis infueto, & a balneis proveniat; siquidem a respiratione infueta sanguinis commotio excitetur, Salia heterogenea separentur, & a calore balnei ad peripheriam invitentur. Sed cum in nostris terris scorbutus, uti supra indicatum, rarissime observetur, non potest esse causa hujus frequentis adfectus, multo minus respiratio. Quod si enim ab inspiratione aëris proveniret, necesse esset, ut singuli infantes ab illa adfligerentur, cui vero experientia non suffragatur. Potius itaque vel a parentibus, quorum massa humorum hoc miasmate est inquinata, cum foetu in utero communicatur, vel quod vero simillimum est, per obtectionem nimis calidam provocatur. Dum enim lectis nimium incallescunt & sudant, mox autem e cunis sudantes eripiuntur & denudantur, ejusmodi cutanei morbi exoriuntur. Et sic aer quidem frigidus accusandus est, non autem quatenus pulmonibus attrahitur, sed quatenus peripheriæ calenti & sudanti admittitur.

§. XII.

Quod ad *causam proximam materiale* purpuræ albæ chronicæ attinet, non est corruptio scorbutica: differt enim a scorbuto primum ratione efflorescentiarum, quæ in hoc latæ, obscure rubicundæ, in purpura vero sunt eminentiæ & vesiculæ parvæ pellucidæ, vel noduli albi. Deinde symptomata in scorbuto partim sunt acerbiora, partim alia e. g. stomacace, ulcera foetida &c. quæ in purpura absunt. Tum scorbutus longius durat, & sæpe per multos annos sine intervallo adfligit, purpura autem sibi relicta brevi periodum suam absolvit. Post hæc scorbutus est contagiosus, minime vero purpura chronica. Porro hi adfectus inter se corruptione discrepant. In scorbuto enim est corruptio sanguinis stricte dicti grumosa, in purpura autem est corruptio seroso-lymphatica & materia longe subtilior, quam in scorbuto. Denique differunt ratione curæ. Purpura enim alba benigna sine medicamentis cedit, secus vero scorbutus: prætereaque medi-

medicamenta, quæ in scorbuto profunt, ut antiscorbutica, imprimis calida, in purpura nocent. Potius causa proxima est corruptio seroso-lymphatico-salsa ex sero abundanti nata. *Confer. §. II. & III.* §. XIII.

Quemadmodum autem serum in statu ordinario massæ humorum est inimicum & infensum, ideoque quotidie excernendum: ita multo magis in hoc statu præternaturali, ubi major copia principiorum salino-sulphureorum, ad summam subtilitatem & volatilitatem redactorum adest, toti œconomix vitali detrimentum minitatur. Qua propter necesse est, ut quantocius e corpore proscribatur. Et sicut serum in statu naturali ad corporis superficiem præcipue defertur, ibique evacuatur: ita & natura provida in statu hoc morbofo hanc viam, utpote commodissimam, eligit, & motu humorum progressivo ac tonico partium solidarum, vel ordinario vel aucto per vasa minima capillaria serum subtilissimum, acre, causticum, ad cutem amandat, ubi intra cutem & cuticulam stagnans pustulas subalbidas, vel vesiculas pellucidas format, donec humidum exstillet. *Confer. §. part. Imæ.*

§. XIV.

Quod ad *prognosin* purpuræ albæ benignæ attinet, est revera, si sibi relinquitur, benignæ indolis, & plus molestiæ quam periculi fovet: leniter enim incipit & placide intra spatium paucarum hebdomadarum, imo nonnunquam aliquot dierum, cursum suum absolvit. Quando autem medicamentis calidis & regimine incongruo turbatur, non solum diu ducitur, sed & periculo non vacat.

§. XV.

De *curatione* hujus adfectus multa non sunt proferenda, quia raro medicatione indiget. Et licet nonnunquam commotiones febriles eum comitentur, illæ tamen post aliquot dies, si exanthemata effloruerunt, sæpe sponte sua cessant. Hinc ejusmodi ægrotis curam per expectationem potius commendare, quam multa medicamenta propinare consultius

tius est. Medicus enim officiosus, & in medicamentis præscribendis nimis liberalis sæpe plus damni, quam emolumenti, hic adfert. Quod si vero æger, de salute sua nimis sollicitus, medicamenta desideret, vel febris & symptomata ea exposcant, Medicus modeste procedat, necesse est: medicamenta enim commouentia, & expellentia in hoc morbo æque damnum inferunt, quam in purpura maligna. Quare & diaphoretica fixa hic tuto non adhibentur. (*Conf. r. præfat. B. STAHLII ad conspect. theoret. pract. Illustr. Dn. PRÆSIDIS, nec non HVIVS TABVL. de purpura alba*). Licet enim transpiratio placida hic conueniat, tamen sudor coactus & largior nocet. Hinc tantummodo temperantia conveniunt, v. g. pulveres ex absorbentibus tenerioribus simplicibus & citratis atque ex nitro parati, qui bis vel ter per diem propinari possunt. Egregium quoque usum præstant diluentia & mucilaginosæ, nimirum decocta avenacea, hordeacea, nec non infusa ex speciebus lenientibus & sanguinem purificantibus parata, e. g. rad. cichor. liquirit. pimpinell. alb. polypod. scorzonner., Hb. acetos. beccabung. capill. veneris, chamædr. chærefol. hep. nobil. scabios. veronic., passul. maj. & minor. semen fœnicul. &c.

§. XVI.

Quod si vero exanthemata difficile efflorescant, vel recedant, pulueribus supra dictis aliquot grana antimonii diaphoretici, & in angustis præcordiorum ac diarrhoea nonnulla grana cort. cascarillæ addi possunt. Quamvis enim diarrhoea hic non adeo periculosa ac in maligna: tamen exanthemata retrahuntur, & quia materia retrogressa in totum per canalem intestinorum non evacuatur, sed semper aliquid remanet, quod de novo ad peripheriam deferri debet, morbus protrahitur. Interim tamen alius semper aperta est servanda, & obstructa per lenientia, lubricantia, liquida gelatinosa, iuscula avenacea cum tamarindis vel passulis cocta,

cta, vel per pilulas balsamicas est referanda. Quod si autem hæc purpura puerperas inuadit, tractatur uti §. XXXVIII. part. Imæ dictum est, & si ab obstructione hæmorrhoidum vel mensium dependet, hi fluxus modeste sunt reuocandi.

§. XVII.

Tandem sit *regimen* quam maxime *temperatum*, & ægrotans, quantum fieri potest, lectum fugiat, pectus autem & abdomen ab aëris intemperie vestimentis vindicet, & in hypocausto, vel si coelum est serenum ac aer temperatus, sub dio motum corporis ad lenem transpirationem usque instituat. Hoc enim modo copiosus purpuræ prouentus impeditur, multa symptomata molesta præcauentur, & æger breuiori temporis spatio restituitur. Quando vero æger decumbere cogitur, eo respiciendum est, ne integumentorum mole, ut jam indicatum est, obruatur.

§. XVIII.

Denique superest, ut quædam de *præseruatione* purpuræ albæ chronicæ adjiciantur: licet enim difficile sit, illam per pharmaca radicitus extirpare, quoniam miasma purpureum, si semel massam humorum inquinauit, quasi fermentum, data occasione repullulascens, relinquit; experientia tamen docet, quod successu temporis ægrotus ab hoc malo plane liberari possit, si modo æger Medico, officio suo rite fungenti, morem gerit. Plus enim ille ad purpuræ extirpationem per diætam, quam hic per medicamenta conferre potest.

§. XIX.

Ex parte Medici eo respiciendum, ut Imo quantitas sanguinis superflua, si adest, detrahatur, II do ut spissitudo ejus resoluator, & liberior humorum circulus promoueatur, III o ut materia acris corrigatur, IV to correctæ euacuetur. Imminuenda autem est sanguinis abundantia per venæsectiones,

nes tempestiuas ter quaterue per annum, pro conditione subiecti, in pedibus institutas, nec non in sanguineis per scarificationes, & per hæmorrhagiarum naturalium e. g. mensium promotionem. Ad sanguinis spissitudinem attenuandam resoluentia v. g. essent: pimpinell. alb. vincetox. tinct. antimon. salis tartari, liquor terræ foliatæ tartari & hujus commatis sunt adhibenda. Inprimis vero conducunt infusa & decocta diluentia ex radicibus & herbis temperatis resoluentibus & sanguinem purificantibus e. g. rad. Ari chin. caryophyllat. cost. dulc. pimpinell. alb. vincetox. poly pod. sarsaparill. scorzonner., H₃. beton. capill. veneris, chamædr. centaur. minor. marub. alb. puleg. &c. parata. Vsum quoque haud contemnendum hic præstant fontes *Soterii* v. g. *Selterani*, *Spadani*, *Schwalbacenses*, *Wildungenses*, nec non balnea siue ex thermis, siue alio modo facta. Ast cauendum, ne nimis sint calida, alias facile ebullitiones sanguinis una cum præcordiorum anxietate producant. Tertiæ indicationi, nimirum materiæ acri corrigendæ satisfaciunt infusa supra commendata, nec non mucilaginosæ, gelatinosæ & absorbentia teneriora citrata cum nitro mixta. Tandem facta præparatione & correctione laxantia sunt subjungenda, quo impuritates, in primis viis hærentes, & serum abundans, in massa humorum oberrans, eliminetur. Præstat hoc aqua *Seidschützensis* vel ejus sal, it sal *Ebshamense* & *Egranum*: præcipue vero conueniunt laxantia, quæ per epicrasin efficaciam suam exserunt, utpote pilulæ balsamicæ ex extractis amaris compositæ, nec non vinum medicatum ex radicibus & herbis resoluentibus, massam humorum corrigentibus & laxantibus paratum, quod bis aut ter per annum adhiberi potest.

§. XX.

Hæc sunt quæ circa præseruationem purpuræ albæ chronicae ex parte Medici obseruanda. Jam ægro incumbit, ut

quotidie serum acre sub forma sudoris lenis e corpore pro-
scribat. Cum enim non solum ex cibo, potu & aere impu-
ritates nullo non die in corpus nostrum introducantur, sed
etiam ex optimo sanguine serum acre excrementitium per-
petuo generetur, necesse est, ut hæ sordes singulis diebus
eliminentur, quod nullo modo conuenientius fieri potest,
quam per placidam diapnoën, quocunque modo obtinen-
dam. Quoniam autem nobile genus hominum promiscue
fere sudores impuros abhorret, non mirandum, quod plu-
res eorum purpuræ sudores molestos & graueolentes
perferre debeant.

F I N I S.



CLARISSIMO AC DOCTISSIMO
DOMINO CANDIDATO
JO. CHRISTIANO BECKERO
MVLTAM PRECATVR FELICITATEM

PRAESES.

NImia in rebus humanis festinatio sicut omnem operam pessundare & exoptatam maturitatem ubique impedire solet: ita medicinam, quæ thesaurum terrenarum rerum optimum conseruare debet, fugacem hanc leuitatem minime omnium tolerare, sed oculos in longinqua directos animumque, omnia præmeditare, considerare, patienter ac constanter per agentem, omnino requirere, adeo inter omnes constat, ut in ora hominum pro ludibrio satis usitate abeant illi, qui rapido plane cursu per triennium academicum feruntur, & deinde celeri pede cathedram adscendere cupiunt. Vtrumque hoc vitium a Te, Candidate clarissime, longe alienum fuisse nouimus: Non solum enim præcepta medica in Fridericiana nostra ultra consuetum tempus laudabili industria audiisti, sed etiam ad

1
curationem agrotorum in nosocomio Glauchensi, cui
præpositus eras, vigilante studio animum adplicasti.
Post hæc per quatuor annos in Silesia praxin clini-
cam exercendo Medicus Ordinarius fuisti ILLV-
STRISSIMÆ DOMVS de HOCHBERG, apud
quam etiam nunc in gratia es ac propensissima volun-
tate. Jam post demum octo annos, in studio medi-
co utiliter transactos, in cathedram dignus adscen-
dis. Et dissertationem, quam ipsemet elaborasti, non
ex auditu solo Et aliorum auctorum lectione, sed ex
propria simul experientia defendere potes. Quare
ex animo Tibi gratulor, Et ulteriorem in cursu me-
dico felicitatem integerrimis votis exopto d. Hal.
d. XXIV, Nov. MDCCXXXVIII.

PVr pureos morbos pertractas, Fautor, amice,
Qui magnam laudem promerueris TIBI.
Nectunt Pierides laurum, qua tempora cingunt,
Sincerus quivis nunc pia vota canit.
Gratulor hinc itidem cupiens, ut prospera quæque,
In praxi medica TE cumulare velint.

*Hæc pauca in memoriam sui
adposuit*

G. E. A. ABESSER,
M. C.

A Nnuat his cœptis Deus, omnia porro secundet!
Artis ut æternum præmia digna feras!

*His paucis ex animo gratulabundus
adplaudit*

F. C. HALDENSLEBEN,
S. Th. C.

Q Vid valeant artes & quid solertia profit,
Aetas nostra probat variis hac arte politis
Ingeniis: ob quam BECKERO palma debetur;
Erigit in medio famæ monumenta Theatro;
Non rapido cursu Medici quæsit honores,
Is Comitum Medicus: famosa Silesia lauro,
Ob praxin & famam dudum sua tempora cinxit.
Hunc nostra Alma Virum titulo Doctoris adornat,
Cujus doctrinam cognoverat orphanus olim;
Hunc alio iam fata trahunt: Medicamen amittunt
Multi, solamen, fidem Medici non lucra petentis.
Hinc debui, volui, Numen, mi svavis AMICE!
Propitium comitem, nec non felicia quævis,
Exoptare TIBI; per TE florebit & Alma.

*Has qualescunque Heliconis rosas Præcibilissimi
Domini Doctorandi adnecti Serto suæque
perpetuæ memoriæ candido commendat a-
nimo*

J. F.

B Egrave deine Höllen - Wuth,
D Todt, Tyrann und Menschen - Fresser,
Hier kommt ein höchsterwünschtes Gut,
Und macht der Menschen Zustand besser.

Die

Dir klappert , da man dieses sagt,
 Der Zahn , den du auf sie gewehet,
 Und , weil dich Wuth und Hunger plagt,
 Schon an die bleiche Haut gesetzt.
 Warum? ein andrer Hypocrat,
 Den Fleiß und Glück mit Recht erhoben,
 Der manchen dir entrißten hat,
 Wird wieder Dich jezt härter toben.
 Fragt nicht : wer wird hierdurch gemeint?
 Denn Beckers Kunst wird jeden weisen,
 Daß allezeit so Freund als Feind
 Mit Recht Ihn Hocherfahren preisen.
 So muß denn Dein becrönter Fleiß,
 Zum Wunder aller Menschen grünen,
 Daß Du auch als ein schwacher Greiß,
 Denselben könnenst lange dienen.
 Des allerhöchsten Seegens - Spuhr,
 Sollst Du in Deinen Lebens - Jahren,
 Bey eines jeden Kranken - Cur,
 Der Deine Hülffe sucht , erfahren.

Aus Freundschaft und Schuldigkeit
 schreibt dieses

Johann George Stegmann.

